

rum penitiorum cognitionem, cum minus intricata partium dispositio spem suggerat, eorum mechanicam genesis penetrandi: atque ex inscriptis sibi lineamentis tanquam signis physiognomicis, quid in intimis penetralibus gerant, assequendi.

Hinc merito non tantum connotari, sed in Musea quoque referri promerere figurata hæc Crystalli æmula corpora, jure profecto æquè justo, ac tot alia quæ alienæ causæ & externæ, non internæ, ut ista, figuras suas debent: & circa quæ dispendiis non modicis nostris diebus turmatim quasi scriptum est. Id autem, cum mixtim & sparsim jacerent, iis hucusque deesse videbatur, ut in ordinatum acervum colligerentur. Hoc equidem præfenti Commentario tentamus, ut quemadmodum Plantæ, Testacea, & ex iis tanquam è modulo effigurata Lapidea in congeneres classes laudandâ operâ relata sunt, sic quoque in proprios loculos Crystalli, qui minus propriè ita dicuntur, digererentur.

Sunt triplicis differentiæ.

Eorum verò, ratione ordinis & naturæ, triplicem differentiam animadvertimus; sunt enim Lapidea, Metallica, & Salina. In his maximè exercet Alma Natura admirabilem suam Geometriam, quam ab infinitæ Potentiæ, Sapientiæ & Bonitatis Harmoste edocta est.

Crystallifata Lapidea.

* Gemm.

& Lapid.

Hist. L. 2.

c. 73.

* Musæ. p.

100.

* De Gemm.

Orig. &

Virt. p. II.

In prioris generis, Lapideis nempe, imprimis emicant Gemmæ, perspicuæ potissimum & duriores, quæ etiam ad Crystallinos à Boëtio de Boot * & Wormio * relatæ sunt. Vix non omnibus figura corporalis & nativa certa est & Geometrica, sed varia eadem cunctis, ex qua forsitan constantior differentiæ inter unas & alias nota desumeretur, quam ex figurâ internâ, colore videlicet, transparentiæ gradibus, & duritiæ variâ, utpote accidentibus. Insufficientem etenim distinctionis notam colorem esse ipse Boyleus * quoque notat, & comprobatur argumentis, quibus hoc quoque, quod adducimus, primarium quasi addendum esset; Crystallinos videlicet veras diversis infectas coloribus reperiri, rubedine nempe aut purpurâ, vel alias rufas, Amethystinas, Saphirinas, Smaragdinas &c. cum tamen Crystallinos esse non desinant: id est Lapides prismate hexaëdrico & Pyramide una vel duabus, utrinque constantes. De duritiæ, quam quidem mox Laudatus pro veteri differentiæ nota cum aliis stabilire videtur, idem quoque dictum sit; occurrunt siquidem Crystalli veræ variæ duritiei, & aliæ aliis molliores solidioresve, quædam quasi adamantinæ, quædam vix ultra vulgarium fluorum soliditatem duriores.

Propterea si perpetuò ad Gemmas distinguendas ad duritiem esset attendendum, plures profecto nimium in unum genus confun-

fun-